Lacrymæ Cantabrigienses
IN
OBITUM
Illustrissimæ Principis
HENRIETTÆ,
CAROLI I^mi
REGIS & MARTYRIS Filiæ,

Ducissæ Aurelianensis.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina *Joann. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ
Typographi, 1670.

AD REGEM.

Ergo iterum temerare Tuos, Rex Magne, dolores
Ausa est obstrepero carmine Musa loquax.
Mors & Melpomene pulsant pallatia Regum;
Nimirum vates turba molesta sumus.
Parce igitur, tanto si rumpit Funere vocem
Granta parens, luctus nec premit ipsa suos.
O quales Heroïnas, Matrem atque Sororem,
Binas jam *Marias* flevimus ante Tuas!
Tertia nunc nos Diva *jubet renovare dolorem*,
Heu! Tibi quæ fuerat sola relicta, Soror.
Sola relicta Soror Te nunc HENRETTA reliquit,
Nec superest, modò quæ sola superstes erat.
Quid memorem Illustris *Glocestri* funus acerbum?
Aut *Albamarli* nupera fata Ducis?
Ecce! quot ingentes animas deflevimus, omnes
Cognatas cœlo, Rex, pariterque Tibi!
Dii Tibi dent sortem tantis pro cladibus æquam,
Millibus & pensant tot Tua damna bonis.
Tot Tibi pro Threnis Epinicia mille rependant,
Pluráque, tot jam *post tristia, læta* ferant.
Denique tot demptos Fratri atque Sororibus annos
Addant ætati, *Carole* Magne, Tuæ.

Jo. Duport, Acad. Procan.

Lacrymæ Cantabrigienſes.

VIxdum *Albamarli* tumulo ſua juſta, ſuáſque
Inferias dedimus, magnæque litavimus Umbræ,
Quando iterum ad leſſus lacrymoſáque præla vocamur.
Vix Regis Matrem heu eluximus, ecce Sororem,
Argumentum ingens! hanc fato flemus ademptam;
Heroïnæ adeò denſatur funere funus.
Sic mors plebeij faſtidit corporis offas,
Improba, Regali & geſtit jam ſanguine paſci.
Gallia, proh! nobis nunquam ſat Gallia felix,
Redde ſuam *Carolo* Genitricem, redde Sororem:
At fruſtrà de te querimur; nam ſævit ubique
Atropos; & Parcæ nuſquam exorabile penſum.
Quòd ſi flectere fata Deûm, ſi jura ſepulchri,
Conjugis aut potuit pietas, virtúſve Parentis
Inclyta, jam *Caroli* ſupereſſet Martyris Uxor,
Necdum pallentes iviſſet Nata ſub umbras.
Sed quia nec ſua, nec cuiquam ſat tuta ſuorum
Contra obitum virtus, nec mortis tela retundit,
Utraque nunc HENRIETTA jaces (heu! Lilia marcent,
Atque Roſæ) Gallis communis luctus & Anglis.
Sic Gentes rigidi rapit inclementia fati.
Ah! Fratris ſaltem *Caroli* expirâſſet in ulnis
Amplexúque HENRIETTA ſui; poſtquam Illius ergô
(Viſeret ut ſolio rurſus ſceptróque potitum)
Dubrin, & Angliacam pervenerat æquore terram!
Extremúmque vale dixiſſet & Ille Sorori!
Spiritum & hauſiſſet morientis ab ore ſupremum!
Preſſiſſétque oculos, atque ultima dona dediſſet
In cineres pronus, pulchræ ſolatia mortis!
Verùm aliter viſum Superis: En! *Iccius* illam
Portus habet reducem, recipítque *Aurelia* dives.

Oſten-

Ostendant miseris sic *tantùm fata* Britannis
HENRETTAM, repetúntque iterum sua pignora Galli:
Dii quoque mox repetunt, cælo ut super astra reponant.
Quin longùm formosa vale, & suavissima Princeps,
Próque tuâ in terris *Aureliâ*, & Urbe caducâ,
Aureolam in coelis cape, perpetuámque coronam.
Detur & hæc, sed serò, tuis, *Carolóque*, *Jacobóque*;
Et cùm Te solam jam fata tulêre Sororem,
Conservet reliquos Cœli clementia Fratres.

LOngum iter emensa est, & vastum transiit æquor,
Viseret ut Fratrem mox moriturа suum:
Viseret at charos ut nunc HENRETTA Parentes,
Longius ad coelos ecce capessit iter.

NIl visu dignum in terris, te (*Carole*) viso,
Amplius: in coelos ibo, videbo Deum.
Sic ait, *Angliacis* & mox dilabitur oris,
Et petit *Angelicas* Diva repentè domos.

Epitaphium.

GAllis heu! ingens dolor, heu! ingentior Anglis,
Gentis amor, lux, & dulce utriusque decus;
Hic HENRETTA jaces, *Borboni* Neptis, & indè
Henrici Magni, stemmate Magna tui

Sanguine

Sanguine sed Major *Carolorum* facta duorum,
Unius Proles, Alteriúsque Soror.
Gallia te jactas, sed vendicas Anglia Mater;
Nempe tibi cunas hæc dedit, illa rogum.

Ja. Duport, S. T. P. *Coll. Magdal.*
Prælect. Dec. *Pettiburg.*
Acad. Procan.

CUm multos peregrè Princeps jam vixerat annos,
Nupta & multiplici prole beata parens;
Affines, Fratres, Populum terrámque Britannam,
Vivere quâ cœpit, visere jussit amor.
Nempe amor ille fuit, non qui violare jugalis
Gaudet & innocui fœdera sancta tori:
Non qualis pulchro flagrantem Jasonis ore
Fertur ad Æmathios sollicitâsse sinus;
Nec qualis lascivæ *Helena* præcordia flammis
Ussit, Dardaniæ & funera mille tulit:
Sed qui relligiosæ habitat penetralia mentis,
Et consanguineos debito honore colit.
Ergò diu Anglorum Regis meditata Ducísque
Amplexus, nostra ad littora tendit iter.
Vix rate conscensâ, & vento huc delata secundo,
Tota in Fraternos mox ruit Illa sinus.
Horum conspectu nondum satiata, suámq;
Heu! Patriam & *Dubrim* mœsta valere jubet:

Æternúmque valere jubet. Mox námque reversam
   Vulnere lethali mors inopina ferit.
Salvá mari, terrâ periit: Vestâque solóque,
   O Neptune, tuum tutius ergo salum.

Guilielmus Dominus Strange,
Trin. Coll.

SAt, ô supérque, Fata, pœnarum damus
Angli misselli, tanta perpessi mala.
Olim cruentâ civium clade exercitos
Grassata nuper ignis & lues premunt.
Ultráne pestis iras & flaminæ licet
Timere quicquam! sævit in suos adhuc
Nullâ piandus victimâ sacer cruor:
Vexant inulti *Caroli* manes pii,
Vexabit & nos hujus umbra Filiæ.
Gentem rebellem creditos malè suos
Gnatos reposcit sidus iratum Patris.
Heu tanta decora vendicat nimis sibi
Supernus Orbis, & terræ tumet malis,
Damnísque crescit auctior nostris polus,
Hujusce semper orbis impensis nitens,
HENRETTA Gallis Principes olim daret,
Heroas Anglis, ni vetet fatum nimis
Atrox, acerbum. Qualis effulsti, tuum
(*Dubri* stupente) *Carolo* miscens jubar?
Hic Jupiter magnus, simul Juno & clues,

 Magni

Magni Tonantis Ipsa non minor Soror.
Hæc subita qualis plaga ! si fari licet,
Nec ominata sim loquendo verbula,
Morbum timemus Gallicum meritò nimis.

At, magne Cæsar, in Te nunc contractior
Tuúmque Fratrem sanguis Augustus redit.
Quicquid relictum est Patris, in vobis colunt
Angli, superstes Martyris tanti decus.
Post multa tandem lustra Patrium petens
Sidus, Superis (at serò) debitum caput,
Longâ Britannos pace ditabis tuos.

Tho. Montague Illustrissimi Comitis
Mancestriæ filius natu quintus.
C. C. C.

USque adeóne sacri ramos divellere trunci
Instabit Fatum, celsas ac sæpius ædes
Injusto pede, quàm tenues pulsare tabernas ?
Cùm nova tam rarò succrescant germina, saltem
Immunem poterat sobolem servare *Mariæ*,
Quæ Regnum toties repetito ventre beavit.
Nilne juvat viles animas extrudere, quarum
Indignam prædam majori strage rependat ?
Vix dum transierant Reginæ debita luctus
Tempora : pullatum tantùm deponere cultum
Occœpit generosa Cohors, & funere mœsto
Longùm desuetos passim gestare colores ;

 Quin

Quin nova præſcindunt funeſtæ ſtamina Divæ,
Obducunt lacrymis porrectam in gaudia frontem,
Et res infandas ab eodem littore volvunt.
Depictæ veſtes multo dudum ære paratæ
Damnantur tenebris: ater ſuccedit amictus;
Et ſic invadunt cum magno triſtia ſumptu.
Verùm quum nuper ſummo de ſanguine pinguis
Victima ſuccubuit, multos ſaturata per annos
Condere Parca ſuos immites debuit ungues,
Ac album viridi filum producere ſtirpi.
Menſibus ut diſtet tam paucis urna Parentis
Et Prolis, Natura fugit, cùm jure ſequatur
Naſcendi ſortem paria intervalla ſepulchri.
At meruit plures illuſtri Nomine Princeps
Annos, quæ conjux Gallis inſerta fovebat
Cognatas gentes; lites & ſemina belli,
Quæ conflare ſolet virtus nimis æmula, dictis
Callida lenivit, blando & compeſcuit ore;
Et docuit miſcere animos & jungere dextras.
Illam etenim ſexu longè prudentia major
Ornavit: rerum nunquam momenta latebant
Lubrica, quas variâ confingunt arte potentes.
Tantus amor Patriæ; tam firmo pectore Fratrem
Complexa eſt, dubiis ut ſeſe fluctibus alei
Crederet, invidiam ventorum incauta laceſſens,
Solâ viſendi causâ, quò littora nota
Tangeret, & capitis dilecti colla teneret.
Qualis conventus! quæ mutua gaudia mentes
Aſpectu ſubeunt! Illam juvat uſque morari,
Et nimis anguſtos veniæ tranſcendere fines.
Hæc verò obliquo conſpexit lumine Fatum,
Atque locum ſenſit ſternendis fraudibus aptum,

Ut gravior medios turbaret plaga triumphos ;
Non priùs adverſis tranſmittunt æquora ripis
Inſignem Dominam, quin jam nil tale timentem
Mors rapit, & ſubitam gelidas abducit ad umbras.
Heu ! reditum nobis & lethum nuncius affert
Unus, & inſano tundit præcordia luctu.
Quod tamen & Veſtros auget, Rex magne, dolores,
Illud idem mulcere poteſt ; Non antè Sororem
Abreptam, placidis quàm Te circundaret ulnis ;
Non aliud peteret, lethi ſi tempora nôſſet.
Fatali lecto decumbens æger, amicos
Supremùm ſpectare cupit, nituntur & ipſi.
Sic percepta recèns veſtro durabit imago
Pectore, ſic nuper deſumptos mente recondis
Vultus, quos velox non unquam diluet ætas.
Carole, ſolum illud miſeris fortuna reliquit :
Quem ſummo Veſtris ſtudio præſtamus amorem
Cognatis ; fato ſi quis concedat iniquo,
In Te collectum meritò diffundimus omnem.
Ad Te, jam ſolito ſpoliati corpore, raptim
Affectus redeunt, cumulúmque augere priorem
Obnixè cupiunt, ſi quicquam accedere poſſet.
Suſcipimus votum: deerant quot luſtra Sorori,
Tot vitæ tandem Veſtræ congeſta precamur ;
Major ut humano figatur terminus ævo.
Sic HENRETTA rogat, ſic cœli Numina ſpondent.

Jo. North, Fil. nat. min. *Dudleii Domini*
North, *Baronis de* Kirtling, *Coll.*
Jeſu Socius.

Epicedium

EPICEDIUM

In Obitum Serenissimæ Principis HENRIETTÆ MARIÆ Augustissimi Regis CAROLI Secundi Sororis.

POst mala tot sævæ dispendia pestis, & ignis,
Sanguine sedatam & belli utriusque sitim;
Sperabam Fatum tibi mitius, Angle, futurum,
Cæde magìs rarâ dum satiatur humus.
Heu quantùm deceptus eram; jactura quotannis,
Hæc major nostra est cladibus, una tribus.
Filia chara suæ subitò post funera Matris,
Sola relicta suis Fratribus Ipsa venit,
Nec timuit fluctus ad nota hæc littora tendens,
Nec timuit Lethes jam propioris aquas,
Ut Fratrum castis impingeret oscula labris,
Oscula, Principibus trans mare digna peti.
Quid non blanda sibi voluit Natura licere?
Quæ non congressus gaudia talis habet?
At propriæ puro videantur in æthere nubes,
Felices cœlum noluit esse diu.
Alternis videas frigentia fletibus ora,
Undam auxit lacrymis sola MARIA maris.
Nulla tamen mortis dederat præsaga futuræ
Signa, dolor lacrymas possit habere minor;

Extremúmque aliâ non conditione futurum
Credebam, quàm quòd nosco fuisse, Vale.
Sed paucis abiit; sequitúrque MARIA MARIAM,
Quamvìs non æquis passibus, æqua nimis.
Defuncta est nuper Mater, jam nostra querela
Non nova, sed solùm continuata prior.
Nec satìs iratum est ut sentiat Anglia cœlum,
Nil nostri possit Gallia habere diu.
Una Soror Regum est nuper defuncta duorum,
Uno mors ictu læsit utrumque Jovem.
Grande jugum domitâ cervice recepit Iberus,
Non impune tamen, Galle, trophæa vides.
Nam si non aliâ visenda est Belgia lege,
Plura domi perdis, quàm tibi parta foris;
Hoc nonnulla modo subigis, quæ non licet armis
Regna, his funeribus nostra tributa capis.
Una rapit Matrem, rapit æstas altera Natam,
In medio tutus Natus uterque manet.
Jam liceat Gallo totis pugnare diebus;
In nos nil quod agat, tertius ictus habet.

Jaco. Fletewood, S. T. P. &
Coll. Regal. Præpositus.

Can-

Candida in Henrettæ transfert sua Lilia vultus
Gallia, formosas Anglia juncta Rosas,
Quicquid erat pulchri, duo regna dedêre, Britanna
Quicquid erat pulchri, Gallica quicquid erat.
Qui nitidas formis spoliavit quinque puellas
Junonem faciens, & tulit omne decus,
Unius Henrettæ viso splendore venustam
Divinámque magìs fecerat ille *Deam.*
Si nunquam Venerem Cous pinxisset Apelles,
Henrettæ specimen pingere posse daret.
Ars tua, Cöe, jacet, sensus tu fallis inanes,
Naturæ colimus *candidioris opus:*
Sola sui vincit *vultûs* Henretta venusti
Splendores, *animâ* splendidiore nitens:
Qualiter exurgens illustrat lumine mundum,
Et tenebras Titan mandat abire nigras;
Illustrat *mundum mens* Henrettana *minorem,*
Sed *magìs illustri luce* nitere jubet.
Nulla venustatem dederat *Rosa, Lilia nulla,*
Splendescens *pulchræ mentis* imago fuit;
Lilia marcescunt, *Rosa* decidit, *unica* mortis
Mens illæsa manens aufugit insidias.

Joh. Breton, M^r. Coll. Emman.

Vi-

VIserat augustum Princeps lectissima Fratrem,
Non incelsectum dixerat atque Vale:
(Triste Vale, roseo quamvis ex ore profectum;
Mellea quanquam inter basia, triste Vale)
Dixerat; atque oram festinat solvere, nullâ
Ad littus patrium pòst reditura rate.
Scilicet & magnos nôrat restare Parentes
Visendos, ingens & bene nôrat iter.
Ergo perosa moras, irritamentáque vitæ,
Corripit ardentem Filia digna gradum;
Adque Patrem *Carolum* scandens, Matrémque *Mariam*,
Æquor sidereum Navita mira secat.
Stellarum experrecta cohors conspexit euntem,
Ipsáque præ reliquis conspicienda Venus:
Si tamen illa Venus, postquam formosior omni
Explicuit sese, & vultus in axe micat.

J. Beaumont, S. T. P.
Coll. S. Petri Præfectus.

De-

DEpositum validè stimulata resumere plectrum,
Solvat ut excelso tristia justa rogo,
Præfractè nostris obnititur improba votis
Ceu juris nimiùm conscia Musa sui,
Objurgátque simul: quid me, importune, lacessis
Semper, & invitam talia pensa locas?
Nil aliud quàm funestos evolvere casus,
Magnáque nequicquam plangere damna jubes:
Alti quicquid habet tellus, & quicquid amœni
Turbine spes nostras ludificante rapi,
Umbris egregias formas squallentibus abdi;
Dirâ virtutum culmina falce premi;
Regia perpetuo sordere palatia luctu,
Sacráque continuo vulnere corda peti:
His ut ego voces impendere coner honestas,
Ac ornare meis pessima fata modis?
Indignè fero. Suppedites modulamine digna,
Læta bono Regi debita, sponte canam.

L. Barrow, S. T. D.
Trin. Coll. Soc.

 In

In luctuosissimam mortem Illustrissimæ Principis, Ducissæ *Aurelianensis.*

E*Loquar, an sileam?* ——
Me stupor invadit talis,——
——Ut versificari,
——(Numeris ni dimidiatis)
Heu! frustra coner.——
Nempe:
Henrietta *Mater*, Henrietta *Filia*,
(Borbonium *Lilium*, Angliaca *Rosa*;
Flores Europæa inter stemmata *selectissimi*)
In *uno* cecidêre Anno.

Jamdudum *Matrem* luximus,
Illam *sensim languentem* prævidentes,
Illam & *ævo maturam*:
Levior sic dolor.
At jam Filia, *pulchrâ Matre* pulchrior nobiliórque,
Et *recèns facta* Mater, *primis* in annis
Inexpectatò rapta est & *perquam subitò*:
Quod vel meminisse horreo.

Nunc, nunc (si unquam) Poëtis sit licentia;
Et, dum forsan titubârint, haud dissonum videatur;
Velut illud Virgilii;
Miscuêrunt herbas.---

Epitaphium.

Epitaphium.

HEi ! cecidit flos ille micans ! *Aurelia* nostra
Mortua succumbit ; *nec tamen Illa senex.*

Guilielmus Fairebrother, in Jure
Civili D. *& Coll. Regal. Soc.*

DIu absfuisti Patriâ, Princeps, tuâ :
Mane, Henrietta, paululùm, postquam *Dubrin*
Tandem appulisti, sera in *Angliam* redux.
Potésne charos tam citò (ah!) relinquere
Fratres ? sinésque tam brevi amplexu frui ?
Nec longiores cum *Carolo* moras trahes ?
Lares Paternos, Diva, Natale & solum,
Natale tam dulce hoc solum, *Angliam* tuam,
Vixdum revisens, sic repentè deseres.

Ignosce, Princeps, improbæ querimoniæ ;
Abitûs scio jam præproperi causam tui.
Ut mox *Mariam* nempe Matrem viseres,
Matrem *Mariam*, proximam cognomini
Deiparæ, ad agmen Cœlitum properas iter.

Fran. Bridgeman, Filius Domini
Orlandi Bridgeman, Custodis
magni Sigilli Angliæ, *Coll. Magd.*

QUàm bene lavisti te, pulchra HENRETTA, priusquam
Ætherii thalamos ingrederere poli!
Talis in Hesperiis etiam se proluit undis
Alma Venus, radio cras oritura novo.

Sam. Beck, Procurator alter,

Coll. Corp. Christ. Socius.

USque adeò incensi minitantur Numina cœli?
Nil lacrymæ valuêre, nihilve oblatio Regis
Immaculata? nihil viduæ post tædia vitæ
Matris, Regalis fata aut lugubria prolis
Pacârunt? *tantæne animis cœlestibus iræ?*
Dii (quos humanas penes est attollere mentes,
Totáque sacrarum penetralia pandere rerum,
Si nimis alta petam, nimius dolor excitat æstum
Principis, & vati plangenti fata tacere
Crimen erit) licitum mihi sit, peto, scire quid istud
Consilium cœleste gerat? quo numine læso
Publica Regalem resonet modò Nœnia planctum?
Si scelus aut neglecta fides tibi displicet (æque
Juppiter) unde diu toties lætantur iniqui,
Molliaque injustæ traducunt otia gentes?
At dimitte nefas, musa, hoc temeraria, sacra
Non ausis scrutanda tuis; nec quisque vibrantis
Lampadis illustrem potuisset cernere formam.

Lacrymæ Cantabrigienses.

Si pietas, si casta fides, si gloria fato
Eriperent, longè vicisset fata *Maria*:
Ah! cœlum crudele nimis! primò ecce statutum
Hanc vestras subiisse minas, cùm perfida quondam
Oppida civili maculavit sanguine ferrum,
Mœniáque inclusæ Matris circumdedit hostis:
Tum primò natam jactaverat Anglia stirpem,
Anxia nec quicquam potuit prædicere cura,
Quàm quòd præda infans gladio prostrata rebelli
Regia, commoto fiat pia victima cœlo.
Nec mora, cùm totâ mala sæviit urbe tyrannis
Hinc sacræ violare volens cunabula prolis,
Tunc Patriam Regémque parentem ut plangeret exul
Fugit; at ah! memora mihi, musa, pericula quanta
Adstant, cùm rabidi laxato carcere venti
In furias ac bella ruant; positóque nitore
Pallidus irato lateat sub gurgite Titan.
Sic primùm à teneris & pubescentibus annis
Fortunæ privigna fuit; nobísque relictis
Interea ignotâ vitam traduxit arenâ.
At major Te pompa decet, jam numine fausto
Sceptra Britannorum (pereunte Dracone) capessit
Exilio & natu Frater; tuus indè refulget
Splendor, & eximiæ clarescit stirpis origo.
Nec misera esse diu poteras, jam perfida crimen
Erubuit fortuna suum, non ampliùs audet
Hoc tenebris damnare caput, nunc Gallia formam
Suspicit, & Sacræ celebrat sponsalia stirpis:
Jam Patriam, Fratrémque & Te quoque visere gestit
Anglia; & occlusis siluerunt æquora ventis
Te properante; Deus timuit, pelagóque recessit
Insolitâ attonitus Divâ navísque profundum

Lambens

Lambens, cærulei per tuta silentia campi
Pergit, & optatas onus assignavit in oras.
Instat læta dies, veniunt duo pignora cœli,
Et fati meminisse juvat; quem dura negavit
Sors patriâ regnóque frui, videt ipsa Britannûm
Regem, & tunc sortem plaudit perlæta secundam:
Nec minùs exultat *Carolus*, lætúsque Sororem
Visit eam, miseram quam deplorare solebat
Exilio comitem; non hîc libet usque morari;
Officium premit, urget amor *Caroliqu*e, Viríque;
Anne abeat, maneátve diu mens anxia pensat;
At tandem valuêre preces; pia sarcina navem
Ascendit, puppísque minis insultat in alto
Gurgite, & è cœlo (proh!) Phœbe nostra recessit
Occasum subitura suum; cùm gaudia tanta
Nativo jam experta solo recitaverat, orbe
Fata reportatum conspirant tollere numen:
Nocte unâ cecidisse volunt; proh dura voluntas
Parcarum, fatique vices! periisse statutum
Tam subitò, ut citiùs fas sit Tibi visere cœlos:
Corpora nec tardi cruciarent tædia morbi.
Quicquid & attribuit stellæ plebs credula; Regi,
Quem modò visisti, sis stella secunda Britannûm.

B. Johnson, A. M.

Coll. Sid. Suss. Soc.

Ab-

ABstineant lacrymis plorantia lumina, luctus
Plusquam fæmineos funera tanta petunt.
Carmina confundunt gemitus & stillat ubique
Cum domino lacrymas prodiga penna suas
Siccine ad Elysios properas pia Fœmina campos,
Præbuerant Stygias & freta nostra vias?
Ipsa tui fueras fati quasi conscia, Fratrem
Relliquias priscæ nobilitatis, adis.
Cúmque illo vitam postremáque vota relinquis,
Ad Patrem in cœlo nuntia grata ferens.
Pandite Cælicolæ æterni laquearia cœli,
Sanctior in vestris non manet umbra locis.
Adventum testata sacrum nova stella resurgat
Æqualis Dominæ luce & honore suæ;
Quó sque dolor tantus pæne extinxisset, ocelli
Obtineant radii lumina sacra novi.
Abreptum indoluit sic Roma ignara Tyrannum,
Donec cœlesti visus honore fuit;
Tum quem non visu poterat, pietate tenebat,
Invidítque ipsis Numina tanta polis.

Tho. Stanley, Coll. Jesu *Commensalis.*

Baronetti Nepos Hæréisque.

Ergo-

ERgóne Carolidis infesta Britannia semper?
  Et necat aspectu terra maligna suo?
Angliam ut aspexti, terras Henretta relinquis:
  Sic *Moses* Canaan vidit, & interiit.
Vidisti *Carolum* Patriæ, populique salutem,
  Protinus optâsti cum Simeone mori.
Nam dum pro tali Natâ, pro conjuge tantâ,
  Inter se rixam Gallus, & Anglus habet,
Quin vanas iras deponite, Jupiter inquit,
  Non Henretta tua est, Galle, nec Angle, tua.
Vendicat Henrettam cœlum sibi, vendicat unam,
  Progeniémque suam Diva *Maria* vocat.
Et meritò, repetit sua propria sidera, cœlum
  Numina si faciant, stirps *Carolina* facit.

At de *Carolidis*, quasi septem errantibus astris,
  Ah! nimis est quinos posse tenere polum.
Quin nostro saltem dominetur Jupiter orbe
  Carolus, hícque vices *Mars Iacobus* agat.
Sera dies veniat, vestrum cùm, *Carole*, plaustrum
  Sidere septeno conspiciatur agi.

Tho. Palmer, A. M. *Coll. Regal. Soc*

Ad

Ad Regem.

EXpensas alii numerent sumptúsque Coronæ,
Fas mihi sit, luctus commemorare tuos;
Exhausit flumen primum Glocestrius Heros:
Justa Palatinæ solvis & Auriacæ.
Atque fluunt Imbres Borbonæ in funere Matris;
Fletúsque Aureliæ postulat urna recens.
Etsi aliàs frugi es, Lacrymarum at Purpura nulla
Majores tam arcto tempore fudit opes.

Ed. Kemp, Coll. Regin. *Socius*.

ILle ego qui nuper *Moncai* funera magni,
Et tristes cecini lessus, justósque dolores,
Miratus potuisse Virum succumbere Letho;
Expertus tandem didici componere vultum,
Nec mirari ultrà, cùm jam novus iste Triumphus
Mortis eò est major, quò *Forma* potentior *Armis*.
Immanes Parcæ! crudelia Fata! domare
Quas ferro nunquam potuit *Mavortius* Heros,
Nec lenire *Venus*, quæ sola hominésque Deósque
Dicitur aspectu captivos ducere primo.

Joshua Basset, Coll. Gon. Caii. *Soc*.

VIx dum compoſitos, Elegeïa, ſolve capillos,
Ad ſolitos luctus te mea Muſa vocat.
Ocyùs hæc repetas tibi cladibus agnita regna,
Quæ ſunt officiis crebriùs uſa tuis.
Perpetuam hîc ſedem figas, ubi nata dolori
Terra tuâ nunquam mœſta carebit ope.
Nam poſthac nullâ ſi nota Britannia clade,
Æternum poſſet reddere quicquid amat.
Nil tamen HENRETTA poterit moriente placere,
Si placeat quicquam, lacryma ſola decet.
Ætas nulla Tui, vel feliciſſima damnum,
Vix Cœlum, Diva, hoc quo repararet, habet.
Imperii titulum in Gallos non bella furórque
Sed forma & virtus aſſeruêre Tua.
Solvebátque Tibi, Caroli pars magna, ſorori,
Impia quæ fratri Gallia jura negat.
Suſpexit quoties Te majeſtate verendam,
Quot tacitos cultus præſtitit illa Tibi?
Dum videt in Veſtrò gaudens ſua Lilia vultu,
Oráque nativæ ſanguine tincta Roſæ;
Quæ non corda domas, quâ non ratione ſubacta
Accepit leges gens peregrina Tuas.
Per mare cùm tandem fratris lætantis ad ipſos
Appuleras ſpoliis his onerata ſinus,
Senſimus adventum, cui vita ſimillima, quæ Te
Oſtendit Terris nec ſupereſſe ſinit.
Senſimus adventum; patriæ vitæque citato
Cùm vix attigeris limina prima pede.
Credidimus Venerem nativo è gurgite, conchâ
Advectam nobis emicuiſſe ſuâ.
Cùm Dea Zelotypis præcordia percita flammis,
Effecit Divam, nè videare Dea.

Quæque ejus formam, vel quâ superabat in Idâ,
   Vincebas ; docuit Te quoque posse mori.
Ludimus : ipsa Tibi Venus est cessura libenter.
   Ludimus : insanos reddidit ipse dolor.
Fortior ad patrios revocat Te causa Penates,
   Ad loca quà felix regnat uterque parens.
Frater ubi & geminæ, charissima turba, sorores,
   Æternùm claro sidere juncta micat.
Quòd festinatos Cœli jam poscis honores,
   Quid mirum ? ad plures, nomina chara, redis.
Nam Carolina domus mundo cùm regnet utroque,
   Majorem numerum maxima regna decent.

Johannes Battely, A. M. Trin. Col. *Soc.*

Lugubri calamo nunc rursus Musa faveto,
Quando repentinam mortem deflemus ubique
HENRETTÆ, atra dies quam funere mersit acerbo.
Proh dolor ! injustis ut sunt ludibria fatis
Mortales ! ergo damnamur luctibus Angli
Perpetuis : lessus nunc solùm & threna sonora
Mittit Hiberna chelys : lacrymis en Gallia manat,
Cui sociam luctûs se adjungit mæsta Caledon.
Principis HENRETTÆ properârunt funera Parcæ
Ante diem sævæ: si fama, modestia, candor,
Incorrupta fides, pietas, aut gloria quævis
Humana, aut virtus, adversùs fata valeret,
Te potiremur adhuc, nec tam citò rapta fuisses,
Diva perillustris, meliori ô digna poetâ,
Qui poterit meritas, Princeps, Tibi dicere laudes.

Mors Tibi principium vitæ; nam ſpiritus aſtra
Dum ſcandit, nemo Te vivere ritè negabit,
Damna tamen noſtra, heu! ſi non Tua plangere fata,
Humentéſque oculos lacrymarum effundere rivos
Ad tumulum permitte Tuum, nunc incola felix
Cœleſtis patriæ; volitat dum fama per orbem,
Quam nec mors poterit, nec edax abolere vetuſtas.

Win. Dayrell, Equ. Aurati filius, *Coll. Magd.*

QUæ tenebris Aulam mœſtis infeſtat opaca
Nox? heu! quæ vultus nubila denſa tegunt?
Non fruimur radiis, & Gallica Lilia pallent,
Anglorúmq; roſis deperit omnis odor.
Illa jacet, clauſítque diem, quæ lumine grato
His noctem potuit ſola fugare plagis.
Inclyta ſe jactat cunis regalibus Iſca,
Fulgere hæc partu ſplendidiore nequit.
Illic paſſa famem vel quicquid durius urbem
Quod premit obſeſſam milite, víque truci,
Infans Cromwellum ſprevit, ferrúmque rebelle,
Pro patre ambivit, quàm modo nata, mori?
Victori nec præda fuit, nam illæſa per hoſtes
Amiſſâ pactis exiit urbe ſacris.
Quid tumidi memorem mox ſulcâſſe æquoris undas,
Quam recipit blando Gallia fida ſinu;
Res adverſa domi, ſceptri, ſoliíque paterni
Ardua ſors fecit præcipitare fugam.
Et ſic pulchra exul terit inter Lilia vitam,
Dum patrium nidum dira procella premit.

Annos

Annos indè videt denos ſine fluctibus ullis,
Angligenam lacerat ſæva nec unda ratem.
Aſpicit ornatum fratrem Diademate avito,
Quo non luxit ei pulchrior ulla dies.
Hoc vultu læto teſtata eſt (Carole) præſens,
O quàm oculis Caroli purpura grata ſuis!
Quàm mores caſti! Dominarum ut forma placebat!
Virtutum ut redolens atque venuſtus odor!
Aulæ quàm rapuit ſplendor! quàm gloria Regis!
Quàm in pretio fuit ars ingenioſa dapum!
Quid mirum reſtat ſi alius non ſplendor in orbe,
Deliciæve pares (Carole magne) tuis:
Deguſtat ſi celſa Soror, temnítque minores,
Cœleſtes ſolas nunc, ſuperáſque ſitit.

M. Smalwood, Coll. Regio. *Socius.*

VIdimus occiduos ſoles, ſtelláſque cadentes;
Virtutis, fidei, pietatis, vulnera; læſam
Majeſtatem olim meritò ploravimus; ultrà
Mortales lugere nefas, dum Numina gaudent.
Poſt Patrem & Matrem Fratrémq; & utraſq; Sorores,
Completa in Cœlis jam conſtellatio fulget.

Johan. Aſhburnham Armiger
è Coll. Sancti Petri.

Pallas

PAllas, Juno, Venus, nemorosæ in vallibus Idæ,
Examen formæ sustinuere suæ:
Si Te vidisset, Paridi Dea quarta fuisses,
Dixisśetque alias Tu Dea, vince Deas:
Cinctam Gnossiacâ nunc vidimus esse coronâ,
Diis æquè ac nobis Tu redimita venis:
Hæc, quæ visa fuit nuper, jam lumina condit,
Nec micat, ad cœlos Te properante, Venus.

R. Garth, Coll, Trin.

NEc tamen exhausti fontes post flumina tanta;
Scaturiunt lacrymæ novæ:
Nec guttis pia Granta caret, queis, Carole, cippum
Sororis irriget Tuæ.
Sole perusta licèt tellus, Huic fons Aganippe
Heu sicca pandit lumina,
Et gemit interno nunc luctu Heliconius amnis
Præ horrore torpens, & stupens.
Sic luctus luctum sequitur, sæpe imber ut imbrem:
Mortalibus non est quies.
Sic superis visum est nobiscum ludere ficut
Pilis, ita heu fatis placet.
Nec satìs est deflere Tuam, Celsissime Cæsar,
Dolore Matrem maximo,
Nec satìs exequias nobis persolvere tristes
Genio Tuo Monko Pio.
En! nova materies lugendi, sanguine fata
Adhuc triumphant Regio:

Quis

Quis nisi cui firmum est, & inexuperabile pectus,
A sede quem radicitus
Evulsæ terræ nequeant quassare ruinæ,
Non his malis succumberet,
Pondere sub tanto subsidens? Tu tamen instar
Palmæ resurgis altiùs.
Si Regale pati magis est quàm vincere, quantus
Tu nomine hoc Princeps clues?

J. Brome, Coll. Christi.

CLauditur hoc tumulo Caroli Soror una superstes,
Purior hoc Pario marmore tecta jacet.
Néve dealbatum credas, gemibunde, sepulchrum;
Hos intra lapides maxima forma latet.
Non tamen hoc tumulo lateat tam sacra venustas,
Formôsam speciem sarcophagúsque premat.
Conditur at frontis fraterno in pectore splendor,
HENRETTAM & totam Carolus ipse tenet.
Illius in fibris Hæc dedignata sepulchrum
Marmoreum, tumulo nobiliore jacet.
Vivit adhuc Fratrum per amorem nescia fati,
Sic sibi post cineres ipsa superstes erit.
Phœnicem ex flammis jactet Nabathæa renatum,
Quem toties peperit nigra favilla novum:
Hanc fraternus amor Parcis exemit ab ipsis,
Sícque calore novo nostra Ducissa redit.

Christoph. Good, Coll. Regal. *Alum.*

Anglia

ANglia, jam Monachi lacrymis opplere sepulchrum
Desine: nempe iterum nova luctus unda tumescit.
Ultima vix illi peraguntur justa, Sororis
Cùm Caroli HENRETTÆ celebranda (en!) Funera Magni:
Antè Ducis fatum, mors nunc lugenda Ducissæ
Tristibus heu threnis: utinam Heraclitus adesset,
Misceat ut fletu Angliacæ suspiria Gentis.
O quantum tria Regna gemunt tria maxima damna,
Conservatorem Regis, Matrem, atque Sororem.

Jo. Turner, Coll. Magdal.

MOnckius illustris Carolum præcessit, avita
Restituit Regna, & sceptra Britanna dedit:
Ætheráque, ut Regnum obtineat Cœleste *Ducissæ*,
Ascendit faciles sollicitare Deos.
Omina sunt aliquid: Princeps contendit ad Anglos
Fratribus extremum præmonitura vale.
Desine mirari Divam potuisse perire;
Cur ageret terris, esset & exul humi?
Quod voluit, subitò & voluit, cùm rapta Maria est,
Mandavit pietas officiosa sequi.

T. Green, Coll. S. Petri.

Ergò

ERgò modis mœstis nullus modus? Anglia luctus
 Sume tuos iterum, Gallia sume tuos:
Nequicquam ergò fuit *Dubrim Calaimq*; propinquas
 Quondam, interfuso dissociâsse mari,
Divulsit terras quamvìs interfluus æstus,
 Publicus (heu!) quoties junxit utrasque dolor!
Desiit extinctam vix utraque flere Mariam,
 Incipit HENRETTAM cùm utraque flere suam.
Illa memor patriæ dilectam accedit ad oram,
 Conventum cœlo quâ videt illa parem.
Hîc Fratres Geminos, cœlestia sidera, spectat;
 Hîc Proceres, quales fingimus esse Deos.
Clarius orbe nihil cùm jam superesse videndum
 Senserit, occludit lumina morte lubens:
Viseret ut Fratrum par nobile, venit ad Anglos;
 Ut cum Matre Patrem viseret, astra petit.

Carolus Roderick, Coll. Regalis *Alumnus.*

QUæ modò natales lætas inviserat oras;
 Quæ Soror augusti Regis, & hospes erat;
Cujus in ore decor, vis mentis, firma juventus
 Spem dederant talem non potuisse mori:
Cui juveni longam debebant Fata, perennem
 Virtuti vitam: (sunt sua jura bonis:)
Illa tamen Princeps periit. Sic marmore tristi
 Omne sui sexûs occulit una decus.
Dic tanti quæ causa mali; quis funeris author:
 Dic quis peccavit; quæ fuit ira Dei.

QUà ſunt diviſi à *Galli* regione *Britanni* ;
Quà maris anguſto volvitur unda freto :
Littus ad Anglorum juxta divortia cautis
Stat *Dubris* Genti nobile præſidium.
Nuper in hoc portu læti ſpectavimus Angli
Auguſtum regno ſiquid utrique fuit.
Hîc quicquid terris cœlum permiſerat uſquam
Sanguine de veſtro, *Carole* Martyr, erat.
Temporis illius celebrent quæ carmina famam ?
Congreſſum tantum pagina nulla capit.
Tres aderant, toti, qui vel virtutibus, orbi,
Vel ſceptro leges jure dedêre ſuas.
Maxima quæ donant Superi, vis, forma, poteſtas,
Uno ſpectari contigit, illa, loco.
Rex erat & Regis Frater ; Fortiſſimus Heros;
Par illuſtre ; fuit nec minor Illa Soror.
Gaudia tum renovant, pacis repetúntque triumphos ;
Temporis & duri tum meminiſſe juvat.
Aſt ubi gens omnis reliqui conſpexerat orbis
Felices noſtros invidioſa dies :
Hos ira attonitos atque indignatio cepit ;
Vix non in cœlum murmura terra movet.
Num Superi ad *Britonum* conjuravêre ſalutem ?
Nunquid & his ſolis Numen adeſſe decet ?
Quæ benè ſufficiunt vel toti ſingula mundo,
Quid mittunt lucem ſidera juncta ſuam ?
Non aliæ Gentes Superûm ſunt cura ? Quid ergo
Vel totos cœlos unicus *Anglus* habet ?
En verò inſultant nobis jactántque ſuperbè
Hæc tria Regalis ſtemmata ſacra Domûs.
Accipit has voces queruli ſtolidíque popelli ;
Ac indignatur verba maligna Deus.

Siccine

Siccine in ingratos confert ſua munera cœlum
Semper ? & indignis conſuluiſſe placet ?
Quos ego communes dederam, mundíque Parentes
Hoſce malis oculis invidiáque peti ?
Scilicet in terris ſic cœli dona rependunt,
Ni populi ad nutus arbitriúmque cadant.
Aſt ego--- Sic juſtas verſatur Numen in iras;
Grandéque pœnarum præmeditatur opus.
Vidit & è cœlo, Regis monuítque Sororem,
Ut lætum ad Superos juſſa pararet iter:
Verbáque quæ reddis ſint verba noviſſima, dixit;
Sufficiet terris Frater uterque Tuus.
Heu factum! & meritò ſic lamentamur ademptam,
Crimine quæ noſtro promptior aſtra petit.
Scilicet in Superis mos eſt; hâc lege tenemur,
Quæ malè tractamus reddere dona Dei.
Sic lugebamus Matrem Natámque *Mariam*:
Sic Deus ad clades cogitur uſque novas.

Hum. Gower, S. T. B.
Coll. Div. Johan. Socius.

QUam modò jactavit Regali ſanguine cretam,
Filiam & unius Caroli, alteriúſque Sororem,
Flet nunc infelix inverſis Anglia fatis.
Heu! natale ſolum nuper num viſere venit
Angliacum Princeps, & Fratri jungere dextram,
Ut longum formoſa vale mox diceret orbi?

HENRETTA, ah HENRETTA! ſonant ceu præſcia damni
Littora noſtra; preces, hinc nè diſcederet, unà
Effundunt; tacitè regerit tamen Illa; Sepulta eſt
Gallorum in patria mea Mater. Tendimus iſthuc.

Edw. Smith, Baronetti filius natu maximus, *Coll. Magdal.*

NEc fontem rapido lacrymarum gurgite natum
Fingimus, aut ſacri latices Heliconis apertos:
Noſtri etenim luctus Nioben, & marmora vincunt;
Et lacrymæ *fontes Aganippidos Hippocrenes.*
Occidit [heu!] CAROLI Soror unica, Filia Divi,
Spes ſècli, Fratrúmque decus, jam gloria cœli.
Invidioſa teræ ſecuerunt ſtamina Parcæ;
Et ſubitò; meritis nè cederet Atropos ullis.
Sícne cadit pietas, virtus? Proh! ſiccine noſtris
Fruſtra ſupplicibus fumant altaria tedis?
Eſſe Deos dubitent *Epicuri de grege porci*;
Angelicæ quando ipſa perit virtutis imago:
Dii tamen æterni maneant, manet illa ſuperſtes.
Per mare, per terras dudum laſſata, migravit
Ad cœlos tandem, lætâ potitúrque quiete,
Curia quam neſcit, nec dant pallatia Regum.
Aulam nempe diu pia mens pertæſa, tumultum
Reſpuit, & multâ pernix indagine rura,
Villas, arva, ſalinas, prata, urbéſq; reviſit,
Gallica quóſque novos meruerunt arma triumphos.
Hæcce parùm patriæ memorem movêre propinquæ;
Mirâ etenim *natale ſolum dulcedine* duxit,

Solveret

Solveret ut curas, Patriam, Fratrésque bearet.
Scilicet hìc solùm spirat cœlestior aura;
Hìc verum toties quæsitum aliunde levamen:
CAROLUS aspectu recreat, mulcétque benigno.
Quæ postquam tenuit Princeps fastigia mundi,
Unus divulsæ à CAROLO *non sufficit Orbis.*
Jámque auro intextæ vestes, jam Gallica sordent
Aulæa, & trabeæ, Satraparúmque agmina densa.
Cúmque nequit Fratrum patrios remeare penates,
Advolat æthereas sedes, & regna Parentum.
Unum olim Cæsar vicit, Veniendo, Videndo
Orbem; sed Princeps hæc nostra capessit utrumque.
Claudite jam rivos, oculi, *sat* Fata *biberunt*
Sanguinis; hæc summos pacavit victima Divos.

Franc. Thompson, S. T. B.
Coll. Con. & Caii. Soc.

FAta equidem ignorant quanti diademata constant,
Quantillam requiem, quot curas purpura gestat:
Vel saltem ignorant qualis reverentia, quantus
Principibus debetur honos; cùm germina Regum
Tollere, cùm toties sævire in Principis ausint
Pectus, & in Carolum pergant sic mittere tela,
Atque catenatos toties renovare dolores.

Non satis HENRETTÆ Matris defleverat urnam,
Manibus ALMARLÆ nec justa absolverat ista;
Quæ statuit CAROLUS, quæ & tanti gesta reposcunt
Heroïs; nec enim properantur funera in Aulis.

Nil

Nil tamen in fatis pietas, nil ſacra Monarchæ
Majeſtas valuit; cùm Fata tyrannide ludent,
Quis renuet? Regi oblata eſt nova cauſa dolendi,
Quæ geminat luctus, fluviis quæ flumina juſſit
Addere, quæque novas lacrymas extorquet ab illis,
Qui ob varios luctus propè deſiccantur, ocellis.

Dum triſti hæc Carolus volvebat mente: Duciſſam
Alloquitur tandem ſuſpirans Anglia queſtus.
Quòd procul à patriâ Tibi vita, piiſſima Princeps,
In tantum protracta fuit; quòd ſacra venuſtas
Corporis, atque animi quibus ornamenta referta es,
Hoſtes haud peperere, nec ulli inviſa fuerunt,
Sive quòd Hiſpanas non profert Gallia ficus,
Hæc nobis miranda dedit gens æmula noſtræ.

Cùm mare trajiceres, faceret quòd & æthera ſudum
Æolus, & motas quòd jam compeſceret undas
Oceanus, vento & veherent Te vela ſecundo;
Indè patet nobis quòd ſumma es cura Deorum.
Cùm virtute tuâ, & denſis ſtipata catervis
Nympharum, Angliacas oras inviſere noſtras
Sive tuas potiùs dignata es, plaudimus omnes,
Téque Deam veneramur, habes repetita Britannûm
Vota, & ubique ſuis redolent altaria ſumis.

Aſt! cùm fama dedit, cœlos hæc gaudia nobis
Invidiſſe; ſtupet gens tota, invadit & artus
Inſolitus rigor, & palleſcunt labra, nec ultra
Effari valuere.---

Joh. Savage, A. M. *Coll. Sid. Suſ Soc.*

Cœleſtis

Cœleſtis Heröina, ſive tu necem
Videndo Carolum paſſa eras, ſive ecſtaſin,
Et intueri geſtit anima dum propè,
Mediâ ſtatim languebat impatiens viâ,
Non tu rude jubes, aut inexpertum priùs
Ferire vulgus pectora, & planctus dare,
Tibi, Mariæ Manibus Matris datas,
Monachíq; factas funere Invictiſſimi,
Tibi,renovant veteres cicatrices, manus.
Occubuit aulæ dulce Regalis decus,
Britannicam conſideres vel Gallicam;
Geminóq; medius poſitus iſthmus æquori.
Domum, & relictos conjugis thalamos petens,
Tantùm ſuis emerſa fluctibus Venus
Pejora metuit monſtra terris, quàm mari.
At ô Dearum, quas ſacris Stygius vadis
Coërcet amnis, minimè Parcarum Trias;
Sic dura ludis, ſic tuas vires probas;
Velutíq; portentum audiat,ſiquis dies
Nobis videtur ſtabilis & felix ſimul:
Sic miſcuiſti tragico-comicum melos,
Triſtes fuimus,hilaréſne, neſcimus, priùs.
Miſeranda certè fata ſunt hominum, quibus
Ipſus triumphus fuerit, & plauſus, dolor.
Sic Luna primum fratris excipiens diem,
Miratur altis conditam tenebris facem:
Ut Caroli jubare, intuetur, obruta
Heliaca maria lucis & noctis domos,
Aſt Illa Superûm regna jam ſumma occupat,
Genitor ubi meliore dominatur throno,

Suáſq;

Suáſq; Mater lucidas ſtellas habet,
Ubi fidelis anima Moncëi viget,
Paritérq; Carolus ſeriùs habebit locum,
Nam ſera nobis rapiet hunc etiam dies.

Quis Deus acciri te, Aurelia, juſſit amator?
Suſtinet ut nullas mors violenta moras!
Aut vos perverſi Manes edicite, Matri
Tam ſupereſſe diu, quæ fuit invidia?

VIdit Tarpeiâ dum Mors ſublimis in arce
Pontificem mundo ponere jura novum,
Siccine Papalis potuit fortuna renaſci?
Tam faciles reditus imperium orbis habet?
Anglorum Carolo vivit Soror unica, Roma
Quam vel adhuc vivam relligioſa colit.
Dixerat; utque ferat nunquam reparabile damnum,
Perculit innocuam juſſa ſagitta Deam.

J. Curray. Art. Bac. *Trin. Coll.*

USque adeò fatale fuit tetigiſſe Britannos
Portus, & patriis *χαῖρε* dediſſe focis?
Quæ modò tot plauſus iteravit margine terræ
Anglia, nunc querulos ſpirat anhela ſonos?
Terra triumphali quæ te veniente coronâ
Cincta eſt, cupreſſum te fugiente gerit?
Ad nos te, Princeps, ſi candida vela tulerunt,
Cur pandis reditu lintea nigra tuo?

In pelago tutam quis te vitæque necísque
    Euripos inter tot fluitare putet?
In cœlis defessa colis tua Sabbata: metam
    Et tangis vitæ, tangis & Ipsa viæ:
Hîc hîc aërias tibi Gallica terra columnas
    Eriget, occasum quâ tua vita subit.
Sequana finitimo dictat sua murmura ponto,
    Et miscet luctus littus utrumque suos.
Vertuntur Musæ Niobæa in marmora: salsas
    Attamen exsudat fusile marmor aquas.
Nympharum facies sulcantur flumine mœsto,
    Et tumulum Heliadum succina gutta cavat.
Si Phœbus Daphnes premeret vestigia, lauri
    Radicem in busto figeret illa tuo.
Eurydicen Orpheus cœco revocavit ab orco,
    Te non à tristi funere nostra chelys?
HENRETTAM Maria, piam pia Filia Matrem
    Prosequitur, Caroli dum petit astra sui;
Alba fuit scandente polos via lactea Matre,
    Albior est, Natâ prætereunte, via.

N. Stokes, Coll. Regal. *Soc.*

ἘΠΙΤΑΦΙΟΝ.

Τῆς Μαρίας θυγάτηρ, μεγάλου Καρόλοιό τ' Ἀδελφὴ
    Τόσσην Μητέρ' ἔχεις, τόσσον Ἀδελφὸν ἔχεις.
Ἀγγλία τὴν ζωὰν σοι δῶκεν, Γαλλία πότμον,
    Ἡ μὲν κάλλιστον σοι τόκον, ἡ δὲ τάφον.

Ὁ αὐτός.

Acrostichon in mortem HENRIETTÆ Aureliæ Ducissæ.

H Eu dolor immensus! proh cassas spes populorum!
E ximia, ut ruitis momento, et abitis in umbras!
N ulli mors parcit, genus, annos, sceptráque temnens,
R aráque virtutum & summæ consortia formæ.
I mmatura necem subit Heroïna, per orbem
E gregiâ formâ, virtute, & stirpe refulgens.
T er misera est hæc gens, miser est ter quisque Britannus,
T er misera est gens Gallorum, ter Gallus & omnis;
A misêre Rosas Angli, sua Lilia Galli.

Carolus Reade, Commensal. *Gon. & Cai. Coll.*

ILle ego qui læto nuper vicina coëgi
Carmine *Dubrensi* ut parerent æquora *pompa*,
Et nova pacati ferientes fœdera venti
Spirarent, arctis donec complexibus hærent
Rex & chara Soror portûs optatâ in arenâ:
(Gratum iter est Anglis) at nunc horrentia mortis
Arma gemo, cujus cœco molimine *Princeps*
Diva cadit; sed regna priùs *Fraterna* revisens

Sola

Sola *Paterna* dehinc inhiat, ſáxque ipſa juventæ
Surgit in immenſum, ſuperáque refulget in aurâ.
Cúmque alios piceæ Stygis unda receperit, Ipſam
Balnea in Elyſios deducunt limpida campos.

Tho. Aſhenden, Coll. Div. Johan. *Soc.*

Epitaphium Principis.

TUmulo ſepulta Carolíque Filia,
Sorórque Caroli hoc jacet. Quænam fuit,
Rogáſne? dignus es qui in æternum roges.

VIvere Tyndaridis Dii permiſêre viciſſim,
Alterutro ſemper terra beata fuit;
Nos miſeros tanto haudquaquam dignantur honore;
HENRETTA tellus triſtis utrâque caret.
Sunt geminæ in cœlis HENRETTÆ; plurima ſecla,
Quàm Caroli gemini ſint, precor, antè fluant.

Tho. Lynford, Coll. Chriſti.

MItte tandem ſpicula luctuoſa,
Magne funeſti moderator orbis;
Dira jam dextræ jaculantis arma,
Fulmina pone.

Nonne ſat ſingultibus aſtra crebris
Nupero laſſavimus, & recenti
Indies planctu, Superûm gravem qui
Leniat iram?

Fudimus cùm buſta ſuper Mariæ
Næniâs threnóſque Diæ frequentes;
Fortiores cúmq; petit tremendus
Monkius umbras.

Tu catenatos renovas dolores,
Flore dum primo fugis hinc juventæ;
Principes heu! quot rapit unus ictus
Principe in unâ!

Simplicem ſi vix ferimus ruinam,
Ferre ſtragem ut multiplicem valemus?
Concidant cùm jam ſimul & Duciſſa, &
Stirps numeroſa.

Invidet terræ polus ergo prolem;
Invidet terræ polus atque Divam;
Jupiter, quid munera das benignus,
Si citò tollis?

Cùm tamen ſæva Atropos inſtat, eſſe
Duxit unum hoc nobiſe, regna viſa
Fratris, & natale ſolum, citato
Linquere greſſu.

Scilicet, non Anglia ferre fatum
Principis tantæ valet, illa cunas
Cui dedit. Verùm ſibi gratulatur
Plaudit et aſtra;

Nempe,

Nempe, dum ſpirans celebrem triumphum,
Montium contingit anhela ſumma,
Dum videt mortalia ſubtùs, alta &
Nubila tranſit.

Jo. Jones, A. B. *Trin. Coll.*

QUæ fata Angligenas iterúmq; iterúmq; fatigant?
Inſulam et hanc Albam tentant funebribus undis
Denigrare; ſinus et in amplos ſpargere ponti?
Illuſtrem nobis Monachum, & rapuêre Mariam,
HENRETTAM invadunt jam viribus Heroïnam,
Albion atratas veſtes ferat, exuat oſtra,
Extincto plauſtri Carolini ſidere tanto.
Anglia Natales jactat celebrâſſe, Duciſſa,
Juſta, & funebrem peragit Tibi Gallia pompam.
Te viſente ſolum natale refulſit ad oras
Sol novus Angliacas, in Fratris regna coruſcans,
Te reduce ad Gallos, toti nunc occidit orbi.

R. Berney, Commenſ. *Gon. & Caii Coll.*

QUid Libitina novum nondum ſatiata triumphum
Inſtaurat? Regem nec timet illa meum?
Jam tandem ſtupidus nativa ad ſaxa redirem,
Pars tumuli fierem ſi modò, Diva, Tui.
Quàm certam emiſit mors invidioſa ſagittam,
Sic certa ex oculis ſpicula jecit amor.

Sed

Sed binos nox dira tegit caligine ſoles,
Attamen apparent ſidera nocte ſuâ.
Juncta micant Caroli plauſtro, & quia dicitur eſſe
Pigrum, Diva duos provida junxit equos.
Heu facies tenerum quæ pallida ſpirat amorem,
In tenebris facies imperioſa ſuis;
Quæ Veneri eriperet pomum, Martémque valeret
In magicis melior flos genuiſſe genis.
Tam citò Cæſareos Tu Fratres deſeris, audes
Forſitan & Matrem viſere viva tuam.
At malè cauta hoſpes ruis inſidioſa per aſtra,
Nempe animam ſervant ambitioſa tuam.
Quis cœlum inſtituiſſe tamen pronuntiat Illam,
Cùm cœlum adventu fecerit Ipſa ſuo.

Ludovicus Maidwell, Coll. Div. Johan.

CRedidimus *Caroli* jam ſtirpi parcere Parcas,
Præcipuè ſexum perdere nolle ſuum.
Aſt, HENRETTA, tamen Te tres rapuêre Sorores;
Quid mirum? Tibi mors muneris inſtar erat.
Scilicet à terris ideò Te fata tulêre,
Charæ ut Te ducant Matris ad uſque ſinum;
Quam, ſimul accedis, ſic fortè affaberis, Ecquod
Me teneat, Mater, te moriente, ſolum?
Jam Veni, Vidi Fratres, mortalia Vici;
Carolus in terris me retinere velit;
Angliaca & nuper cùm veni ad littora, Mater,
Quantùm ego & Ille tuas flevimus exequias!

Jam

Jam nova res agitur; certant jam Gallus & Anglus,
  Debeat exequias quis celebrare meas.
Ipsa diu te alui, Matrémque, tuúmque Maritum
  Progenui, dixit Gallia, Chara mihi es.
Ipsa Tuum Patrem peperi, Fratrésque, Sororésque,
  Anglia dicebat, Charior ergo mihi es.
Sic flete, æquali at luctu vos flete sorores;
  Chara utrique fuit, par sit utrique dolor.
Gallia mœsta Tibi paret amplum, Henrietta, sepulchrum,
  Cordibus Anglorum dum tumulata jaces.
Gallia flet forsan; certè at Tua funera flendo
  Anglia fit lacrymis insula tota suis.

Edmundus Howorth, Coll. Magdal.

POstquam Henriettæ Mater erepta fuerit,
Sequi Parentem tristis ardet Filia.
At Te videndi (*Carole*) libido moras
Creavit; optat, at timet discedere
Nullâ salute læta, quam Parentibus
A Te ferat. Sic anxia hærebat diu,
Visura patrem *Carolum* voluit mori,
Visura fratrem *Carolum* metuit mori.
Ad vota tandem læta dant illi omnia,
Patrémque penè vidit & Fratrem simul.
Ænigma nescis (Lector) hoc e solvam tibi.
In Angliam venit Henrietta, *Carolum*,
Quem tot per annos viderat nunquam, videt,
Amplectitur. Nova quis Sororis gaudia,
Quis Fratris exprimet? rident sed altero

Oculo,

Oculo, altero flent; gestiunt animos loqui,
Præ gaudio nequeunt. Tuentur se invicem
Continuè hiantibus oculis, nec dum capit
Satias; tueri sic in æternum expetunt.
Ingrata tandem & tristis illuxit dies.
Invita Princeps cogitur discedere,
Animóque mœsto patriam relinquere.
At vix tetigerat Galliæ solum, redux,
Quin (heu dolendum!) protinus vitâ exiit.
Et *Carolo* jam plena *Carolum* petit.
Placuit enim Superis beare eam hîc loci
Felicitate maximâ, quam sedibus
Dignam sacris sociisque Diis putaverant.

Tho. Lynford, Coll. Christi.

CRebra modò cecidit, sylvarum gloria, cedrus;
Heu! quis jam cedro digna dolere potest?
Defunctâ *Mariâ*, quasi *Thracum* jure, propinqui
Non solùm ipsius sed sua busta vident.
Tanquam ex officio jam Regia Nata sequuta
Maternum & penè est concomitata rogum.
Ad Fratres venit, in cœlos abitura, salutem
Mittere jam ad Patrem num voluêre, rogans.
Quo facto, ad Gallos fato indè revolvitur, ac si
Mitteret in cœlos Gallia sola Deas.
Vix tamen ad Gallos, à nobis ecce reversa est
Protinus in patriam scilicet Ipsa suam.

Jegon, Coll. Regal. *Alumnus.*

Siquis

SIquis Atlanteam rimari geſtiat artem,
Artem, quæ ſcapulis ſuſtinet axis onus,
Lapſurum inveniet nobis eclipſibus annum
Hunc ſine, Phœbe, tuis; non ſine, Luna, tuis.
Phœbe nites, ſempérque novo niteas, precor, ortu,
Ut Genitrix cadat, & Luna ſecunda, Soror.
Nec cecidêre quidem: quis enim cecidiſſe putaret,
Lumina cùm gemino ſidere macta videt?
Non defecturum calles, ars ardua, Phœbum,
Sed fugit augendo te quota Luna polo eſt.

T, Goodlad, A. M. *Sid. Coll. Soc.*

QUàm ſubito, Princeps, venerunt fata volatu!
Nullos ſibi prænuntios
(Et ſolet hoc fieri) morbos miſêre, ſed ipſa
Mors ſpiculo triſtis aderat.
Nuda ſatellitiis, nullis ſtipata venenis,
Nec peſte, nec fœdâ lue.
Nil poterant in eam mortis præludia, morbis
Nullus repertus erat locus.
Nil habuit juris tam pulchro in corpore peſtis,
Nec mente divinâ ſcelus.
Vulnera ſin mortis longa & meditata fuiſſent,
Lentóque ſerpentia gradu,
Credibile eſt, Princeps, diras potuiſſe Sorores
Flecti tui oris gratiâ.

J. Spelman, T. C.

AD fluvios ut cantat olor, quasi conscius esset
Veloci sibi mox affore fata pede;
Sic visa ex undis Princeps, quam flemus ademptam,
De fato priùs hæc fundere verba suo.
Nusquam tuta salus, in aquis his quæro salutem,
At Stygias undas hæc mihi lympha refert.
Me mihi reflectit nitidis fons lucidus undis,
Oráque sunt solitò pallidiora mea.
Ut labuntur aquæ, nostræ labuntur arenæ,
Mox elapsura est hora suprema mihi.
Sum juvenis (sed non indulgent fata juventæ)
Nobilis; haud minùs & stemmata Parca rapit.
Nec mihi forma deest, hominum quæ pectora movit;
Sed non fatidicas commovet illa Deas.
Invisi patrios fines modò, nunc tamen ipsa
Ad finem vitæ sum revocata meæ.
Excepêre modò me Fratris sceptra benigna,
Sceptra sed excipient mox, Libitina, tua.
Anglia jámque vale, nostra incunabula, lætor
Me tibi languentem dicere posse, Vale.
Et tibi successus exopto Gallia faustos,
Imperio vestro secula multa precor.
Lilia vestra vigent, vigeántque diutiùs illis
(Si qua vigent nostris lilia fortè genis)
At tibi præcipuè precor omnia, Sponse, secunda,
Et multos annos dissimilésque meis.
Tu quia conjugii tedas mihi, chare, dedisti,
Funebres tedas, me moriente, dabis.
Respicit (his dictis) lacrymantes ægra ministras,
Atque ait; In mediis me sitis urget aquis.

Non

Non mora, ſuppeditant; quæ vellet, vitrea pôcla
Accipit, & pergit cætera verba loqui.
Eſt magis hoc vitro fragilis, quam ducimus, aura:
Dixerat, hoc Dominæ mors inopina docet.
Nempe cadunt ſubitò ſummi ſummæque, fuiſſe
Me ſummam, occaſus mox probet ipſe meus.
At mihi quam nequeo, vobis propino ſalutem,
Noſtra etenim lacerant viſcera tela necis.
At quid ego dixi? dant hæc mihi pôcla perennem
Vitam, non ultrà me ſitis ulla premet.
Quid lacrymis turbatis aquam? nam nectar in illa eſt,
Hâc mihi non unquam dulcior hauſtus aquæ.
Lubrica non ſaturat me mundi pompa, caduca
Omnia quæ juris ſunt, Libitina, tui.
Ergo petam Superos, Patrem, Matrémque reviſam,
Inter Majorum numina numen ero.
Dixit, & extemplò mortales exuit artus,
Et cum cognatis eſt Dea facta Deis.

Joan. Lytcott, A. B. *Coll. Regal. Soc.*

PAllas agit Lucinam, aptata crepundia cunis
Spicula, non hominem vox ſonat, ecce Deam;
Infantem tetrico demulcent claſſica cantu,
Noſtra ſit ut belli fluctibus orta Venus:
I conde annales Romana Eccleſia, faſtis
Spiret in æternum ſi Dea digna, tuis.
En meruit, ſua quæ cunabula debuit haſtis,
Signet ut extremum littera rubra Diem.

N. Raſhleygh, Coll. Trin.

CRedidimus threnis ſat jam lacrymíſque litatum,
Lætum & nos tandem poſſe ſonare melos.
At citò monſtrârunt miſerando hoc funere, finem
Se nondum noſtris Fata dediſſe malis.
Nam Tibi dum fletu heu! opplentur lumina, Muſæ,
Carole, adhuc noſtræ nil niſi triſte ſonant.
Præſentem nuper celebravit læta Sororem,
Nunc dolet extinctam terra Britanna Tuam.
Luctibus & noſtræ, quibus ingemit Anglia, chartæ
Atratæ, en! habitum temporis hujus habent.

Ben. Middleton, Coll. Eman. *Commenſal.*

SUnt quos morborum vexat longæva ſenectus,
Dum teſtudineo mors venit atra gradu.
Luſtra quot enumerat cornix? hæc vivit in ævum,
Et longos fallit garrulitate dies.
Annoſus corvus licèt iſte *cadavere* paſtus,
Vix mortalis avis, *vivida mortis edax*.
Se lethi jaculis rapiunt formidine damæ,
Et fatum curſu præpete cerva fugit.
Anguilla in cœno, vel ſerpens ſtercore nata,
Icta licèt multo vulnere tarda perit.
Quæ tamen ex meliore luto, vel principe creta,
Corripit *Hanc* ſubitâ mors inopina manu.
Igneus HENRIETTÆ vigor, & cœleſtis origo
Ipſo etiam in letho tædia longa fugit.
Aëre ſic clauſo turgens *pulcherrima lympha*
Detumet, è clauſtro rarior aura ſalit:
Sic ſcintilla petit coelos, & fomite ſpreto
Avolat à noſtris *flamma coruſca* focis:

Sic levibus pennis tingunt dum fulgura terras,
Nox tunc visa dies lucida, mox tenebræ.
Lumine cùm nimio *Dubri* perstrinxit ocellos,
Hinc lacrymæ stillant, & lavat unda genas.

Joh. Warly, A. M. *Aul. Clar. Soc.*

FEstinata suæ Henriettæ gemit Anglia Fata,
Et queritur vitæ de brevitate suæ,
Saltem ex officio licet hoc; sed sæva fateri
Solùm nostra licet, non sua fata sibi.
Quam cœlum nobis, sed non sibi vivere, more
Angelico, & nostris rebus adesse sinit.
Hujus nemo ævum nostris mensuret ab annis;
Nempe fuit, virtus si reputetur, anus.
In nos sed magni post præstita munera amoris,
Æternâ rediit sola quiete frui.
Nec nunc absentem miror, nostris ego solùm
Detentam precibus non abiisse prius.
Nec ruitura tamen demptis Brittannica fulcris
Regna, satis stabili sed pede firma manent.
Etsi Rex Matrem, & Fratrem, amisitque Sorores,
Et Te, quem placuit, *Monke*, vocare Patrem.
Hisce opus auxiliis ad Regna struenda fatemur,
Nulla at perfectum machina fulcit opus.
Tuta tamen Divis stat Gallia & Anglia binis;
Gens Tutelarem est utraque nacta Deam.
Olim *Maria* est inscriptum in corde *Caletum*,
Nostra, puto, insculptam in pectore *Dubrin* habet.

Jo. Allison, A. M. *Coll. Regal. Soc.*

Post

POst tot continuas clades, seriémque malorum,
Majus adhuc vulnus, tua mors, *Carolina* propago,
Intonat ærumnas, & luctûs obruit æstu;
Horreo fata videns, languescit torpida Musa,
Nescia moliri curas, & nescia fari.
Quid vanas sed enim prosit miscere querelas,
Téque, HENRETTA, novâ deplangere luce beatam?
Orbe triumphato sublimi vertice cœli
Purior eluces, *Carolum* Patrémque, Deúmque
Cernis, & indigetes *Carolino* stemmate Divos,
Cúmque illis flectis cœlos, & numina misces,
Æternúmque tuis regnabis culta Britannis.

Tho. Camborne, A. B. *Trin. Coll.*

OBvia Solis equis accedens, lumine Phœbe,
Quò propior fratri est, debiliore micat:
Longiùs at fugiens, in discum cornua magnum
Explicat, & radio splendidiore nitet.
Nostra coram *Carolo* sed fulget Cynthia, læto
Vultu, defectum nec timet illa pati;
Quæ citò discedens, obtecta est nubibus atræ
Mortis, & hinc summo in vortice rapta latet.

Car. Smythe. Aul. Cath.

Cùm

CUm Superi nostram terris rapuêre Mariam,
Haud voluit multos Filia mœsta Dies,
Terra illi, quia Mater abest, sordescere visa,
Quòd tamen in terrâ est *Carolus*, ista placet.
Et dum sic hæret Princeps orbem inter utrumque,
Ambigua an terras eligat, anne polos,
Regna petam Superûm, dixit, Matrémq; revisam,
Namque &, serò licèt, *Carolus* illa petet.
Atque ut conspectu Fratris cessura fruatur,
Huc venit, & celeri hinc se rapit ecce fugâ.
Sic ponto exsurgens ad cælum argentea tendit,
Astra velut mediis exoriuntur aquis.
Cernere erat Divam celsa inter nubila vectam,
Vidimus ignitas emicuisse comas.
Stellula Phœbæo non obscurata nitore,
Quam Venerem falsò diximus, Illa fuit.

Hezek. Horne, Coll. Regal. *Alumnus*.

QUòd *Caroli* cunas, tua funera, nunciat astrum,
Creditur è cœlis Venerem cecidisse planetam;
Scilicet ædiculam Tibi concessisse supernam.
Esto, precor, sic nostra Venus commigret in astrum:
(Quam non commeruit tellus, esto incola cœli)
Fratris regna tui radiis afflato secundis,
Faustos redde dies nobis bona stella Britannis.
Et dum conscendis cœlos, I pergito in altum;
Nec procul à plaustro *Caroli* defixa maneto,
Sellam quippe suam Tibi tradet Cassiopeia.

Henricus Chichester, Coll. Gon. & Cai.

Post

POst Mariam, Monachúmque, HENRETTAM flemus adem-
HENRETTAM, heu! *Caroli* quæ fuit una Soror. (ptam,
Illa solum natale, adversâ sorte relictum,
Advenit, acta sacro Fratris amore sui.
Tardior egreditur patriâ, quàm fugerat olim,
Et questa est longas non satis esse moras.
Exilióque novo patriâ quasi sede repulsa,
Rursus retrogradum per mare carpit iter.
Ah! quoties illam, venturi præscia fati,
Æmula ad æthereas sustulit unda domos!
Albescit niveis ubi semita Lactea arenis,
Tam sacris pedibus semita digna premi.
Jámque Patris mallet, quàm Conjugis ora videre,
Quàm patrias sedes, regna beata Dei.
Respondêre piis votis pia fata, vocantis
Audiit & crebras Parca benigna preces.
Cœlestésque Illi cita mors indixit honores,
Felix, quæ cineres clauserit urna sacros!

Thornburgh, Coll. S. Petri.

ANgligenis animum Princeps moritura reliquit,
Relliquias Gallis: his sita Mater erat.

Gallia jactat opes? quare? ditissima Regis
Nostri thesauris: Matre, Sorore suâ.

Principe præsenti nuper fuit Anglia felix,
Gallia, quòd semper continet ossa sinu.

Tho: Fowler. A. M. *Coll. Sid. Suss. Socius.*

Prima

PRima mari Venus orta; secunda per æquora lapsa,
Ægra salutiferas occidit inter aquas.
Sic quod concessit nobis decus, abstulit unda,
Neptunúsque iterum pristina jura tenet.
Thermæ at quæ nôrunt aliis præstare salutem,
Diva, tuam poterant accelerare necem?
Immò aqua vitæ erat ista, suâ & virtute valebat,
Nimirum est sanctis unica vita, mori.

Jac. Clerk, A. B. *Coll. Regal. Soc.*

COElestis oculus, vósque funestæ faces
Stupentis Orbis, & tremenda sidera,
Et tu Diana virginum
Cornuta custos, jam, modò fervidi,
Pallescant radii, jam decus & vigor
Heu! jaceant, luctúq; novo miserabile, carmen
Lugubre motu concinent.
Et tu continuis Jovis exagitata procellis
Anglia, dic per omnes
Te Deos oro, Britonúmq; eximias catervas,
Queis cum semianimis mersa sepulchro,
Semisepulta jaces,
Quâ tandem culpâ, quâ noxâ tantas iras
Cœlitùs deduxisti?
Quæ tua delicta vetant
Iracunda Jovem ponere fulmina?
Num dolor levis nimis, & arrogantia impotens
In priori tabulâ

Naufragium meruit novum ?
Heu! fert lacryma lacrymam,
Fœcundúsque sui se numerat dolor.
Occidit virtus, sed enim cruentis
Quis modus tandem dabitur triumphis
Vestris, ô Lachesis! nec integrabunt
Fila Sorores ?
Castæ Minervæ nuper in agmine,
Florentis ævi culmine vidimus
Stantem HENRIETTAM, lacrymoso
Præcipitem cecidisse fato;
Proh dura fata Principum,
Queis nec quiete dulci
Fovere fessa corpora,
Spicula quin miseris somnia mortis erunt:
Nec vigilare datur, vitam vetat inchoare longam
Mordáxque cura, & perdita improborum
Proditio, indomitúmque vulgus.
Occidit & pietas, pietas spectanda Parenti,
Conjugi, Deóque,
Primam præstabat primo, cùm vulgus durum
Rebellionis faces
Britannicis oris, nefandum, accendissent,
Ætnámque totam confecissent insulam,
Nec cognitas adhuc miserias cum Patre divisit.
O magna Maximi Martyris progenies!
Sic Herculis inclyta natura,
Chara Deûm virtus, magnum Jovis incrementum;
Illius nec immunis fuit
Infantis ætas, monstra superavit priùs
Quàm monstra novit; gemina cristati caput
Linguis vibrantibus ora

Ferebant

Ferebant angues,
Obvius hiſque
Ingens reptavit infans,
Subridénſque, ſerenus
Nodos ipſe graves tulit :
Tandem artúſque dolo dilacerare ſuos,
Tabificâ cruciante togâ, neque ſatiata Juno
Sæva coegit.
Quæ te Furia limitibus doloris arcet ?
Ægram quis dolor obruit amens ?
Cane Medis, cane flavis Agathyrſis,
Scythicíſque & Naſamonum l pharetratis cane turmis,
Muſa, ni magè conſona fundere carmina poſſis.
Quid cum muliere Hercules ?
Mœſtam licèt heu! revocato pedem,
Hîc quod agas ſatìs eſt nimiúmque ;
Huc gemitus, planctúſque tuos, lachymáſque quereláſque
Affer, & in ſacro tua carmina conde ſepulchro.
En pietas extincta jacet ! Numénque Virúmque
Quæ, utrum verò purè magìs dubium eſt, excoluit,
Animo Deum, corpore Virum,
Utrumque utroque :
Invi la ſed terris tantis virtutibus ævum
Non audent promittere Fata ;
Depoſitúmque ſuum repetent
Præproperantia ſidera.
En pudor, En probitas, niveíque in pectore ſenſus,
Et regina modeſtia morum, &
Non incauta futuri
Præſagæ ſolertia mentis !
Quàm pulchra conſtellatio

Virtutum! comites quàm bene congruæ
Pulchro in corpore junctæ!
Ast, ô quàm subitæ occidunt!
Vix dum nata fuit, fuit at Diis grata Sibylla,
Heu cur non longæva Sacerdos!
At cùm stamina Parcæ dissoluerunt,
Te Galliæ lugent, Batavicáque littora,
Te furens orbis, penitúsque divisi
Orbe Britanni.
Granta te luget, Thamisis fluenta
Te sonant, mœstæ reboant Camœnæ,
Et frequens sacrâ veneratur undâ
Musa sepulchrum.
Ipsa odit jam Parca suos pudefacta triumphos,
Et ambit ultima integrare stamina,
Virtutem extinxisse dolet.

At Tu, beata Diva, flammantes polos
Conscende victrix, & triumphali pede
Jam Numen, Orbes cœlitus perambula,
Despectis terris ingratis Téque indignis.
Glacialis rege currus Cynosuræ,
Quate pulso titubantes pede nimbos,
Age claras famulantûm quate pennas Aquilonum;
At nos misellos respice,
Stramineo dum flore sacras Tibi condimus aras.

D.

D. M.

Duciſſæ Aurelianæ.

DIVA, Carolinâ demiſſa à ſtirpe, tremenda,
Sive per Empyreus conſcendere celſior arces,
Sive per ambiguos Geminos, ſeptémve Triones
Regina, greſſus, Dia reſtringes tuos,
Honore Mundus Te ſacro ſupplex colet;
Te Frater ipſe CAROLUS
Suis ſepultus lacrymis,
Te Cæſares Britannici
Olim invocabunt precibus,
Et templa ſurgent Numini,
O Diva, veſtro: plurimis
Pluſquam gravata altaria
Quantùm renident victimis?
Tremente corde vota ego
En TIBI primus affero;
Tu noſtra mitis accipe &
Quæcunque Muſa ruſtica,
Nec ſemper æquato pede
Deflevit audax, Dignitate
Indigna tantâ, --- gratiam
Authori & ipſis impetrent.
Te manè Muſa gratulanti carmine,
Et expedita prædicabit veſperi.
Caſta maritali dum juncta jugalia nexu
Mundus habet, Regéſq; vigent, pietáſq; pudórq;
Semper Honos, Noménque Tuum, Laudéſque manebunt.

L. Milbourne, A. B. *Aul. Pemb.*

Cùm

CUm Fratres, natale ſolum, celſiſſima Princeps
Viderat, atque arces, Dubri ſuperba, tuas;

Non erat hoc damnum rediens patiendo, Britanni
Abſens nec potuit non meminiſſe ſoli.

Inſequitur reduces amor hic, & cura phaſelos,
Galliáque in patriam non vetat eſſe piam.

O patria, ô ſedes, ô inſula fortunata!
Inſula, cui toto quæritur orbe ſoror!

Et longum dictura Vale, Vale, Anglia, (fatis
Sic placuit) dum vox hæſerat, orbis, ait.

Guliel: *Fleetwood* Sid. Suff. Coll. *Commenſal.*

PArcite vos virides Divi, quibus æquora parent,
Undarum timidæ ſit via tuta mihi.
Fœmineo tingi ſi vultis nomine pontum,
Dum redeo, veſtris naufraga mergar aquis.
Mittite ſupremam ſpirem modò Fratris in ore
Auram; ſi peream, parte ſuperſtes ero;
Te priùs amplecti, Frater chariſſime, vellem,
Me poſt amplexus mors ferat atra tuos.
Fatales forſan, cùm preſſi labra, Sorores
E labris capient oſcula veſtra meis.
Longius à fatis tempus non Ipſa requiro:
Te viſo extemplò lumina læta premam.

De

De me nè fiant dubio certamine lites,
Ipse tenes animam, cætera Gallus habet.
Accipe, ab infirmo quamvìs venit ore, salutem:
Quod Tibi jam exopto, non fruor ipsa, Vale.

Tho. Bowyer, Coll. Regal. *Alumnus.*

FIt tandem proprio natura retrograda cursu,
Et medio æstivo tempore sævit hyems.
Nescio quis gelidus nostros dolor occupat artus,
Et tristi torpent frigida membra gelu,
Marcescunt subito pallentia *Lilia* flatu,
Vidimus & Junî mense perire *Rosam.*

Jo. Warly. A. B. *Aul. Clar.*

QUid, Carole, amissam quæris quererísq; Sororem,
Totus & in lessus defluis & lacrymas?
Quam gemis amissam, vivit jam duplice vitâ;
Spiritus in cœlo degit, in orbe decus.

Chr. Glascock. C. G. C.

SIccine magnificos iterum renovando triumphos,
Exultant spoliis fata superba tuis?
Siccine luctificas ad Regia tecta cupressos
Victrici revehunt imperiosa manu?
Siccine fata jubent luctus revocare priores?
Et nondum exhaustis addere flumen aquis?
Unde furor tantus? Nimiùm Libitina superbit,
Dum parat augustos invidiosa rogos.
Quot nuper misero cecidêre cadavera fato,
Dum mors pestiferas undique sparsit aquas?

In-

Innumeras avido deglutiit ore catervas,
Et tumuli prædis ingemuêre suis.
Sanguine tam vili tanquam satiata, frequentes
Extinxit tandem mors truculenta faces.
Jam majora canens, fatali sauciat ictu
Pectora divitiis nobilitata suis.
Eximiis gaudens spoliis, diademata captat
Splendida, nunc tantùm Regia præda sat est.
Quæ jamjam ætatis pulchro sub flore vigebat;
Vertitur in cineres nunc miseranda suos.
Sic tandem cecidit; terras Astræa reliquit:
Sideribúsque suis læta sodalis adest.
Sic dum Gallorum flores tenet Anglia, carpit
Et nostros properâ Gallia iniqua manu.
Jam nihil attribuat plebecula vana micanti
Stellæ, nam signis his data vana fides.
Funeribus tantis non stellula convenit ista
Inferior, superum possidet illa Jovem.
Nec cuiquam fas est minùs æquis credere signis,
Nam signum voluit castius ipsa sibi.
Hoc tamen evincat, quòd pulchra Henretta micabit,
Ut solet in superis stella corusca polis.
Denique nè vitium mihi sit, quòd squalida tantas
Exequias tenui carmine Musa canat:
Nam statuisse modum non novit Musa dolori,
Nec rectè metricos disposuisse pedes.

T. W. A. B. Sid. Suss. Coll.

TEmpore quo nostras volitavit tristis ad oras,
Pulchra Henretta, necis nuntia fama tuæ,

Hei mihi ! tunc Scythicis optabam vivere plaustris,
Exul & à patriæ finibus esse meæ.

Non potui lacrymis in mæsta cadentibus ora
Solari mentem, Phœbe, calore tuo;

Nitebar sanè; mihi sed mea Musa, fleamus,
Inquit, & in fletus carminis ite pedes.

Hanc nam quis Lachesis vi non lugeret ademptam,
Qui scit opes animi quæ patuēre tui ?

Dixerat, & celeri pede vanuit ægra dolore,
Hos elegos lacrymis cedere mæsta jubens.

Simon. Sayon. Coll Regal. *Alum.*

ESse videbamur Te vivâ, HENRETTA, beati:
Vidit, & invidit Parca, & nè fortè superbos
Tam felix status hic faceret, Te surripit; Anglis
Esse nihil patitur diuturnum pessima charum.
Hinc luctus nobis, hinc & suspiria crebra;
Tam sacri cineres, & talia busta pyræque
Threnos & gemitus, lacrymarum & flumina poscunt.
Quis plebis dolet exequias ? arbusta perire
Quis curat ? sed cùm præcelsa cacumina quercûs
Marcescunt, nemo est, quem non plorare videmus
Sylvæ omen tam triste. Cadit pars altera regni;
Cùm Regis pars una cadit, tunc omnia fas est
Membra dolere simul, quando pars maxima torpet.
At Tu, Magne Parens Patriæ, jam vulnera sedes,
Et tollas luctu mersum caput; omnia letho
Defuncta, aut moritura vides; Phæbúsque, Sorórque,

Astráque nunc obeunt, nec prodest machina terris.
Corpora quis Regum nescit terrena, lutúmque
E meliore licèt formâ, vitrúmve caducum?
Sed postquam terræ massas posuêre, Deorum
Cætibus intersunt; sit ut his decus, à Jove rapta
Nunc Soror ergò Tua est; Venus emicat altera cœlis
Casta, nurúque suâ vel Jupiter ipse superbit.

J. Breme, Coll. Christi.

SIste
Quicunque hoc Mausoleum vorsus
Vestigia flectas Viator,
Siste paulisper,
Et concatenatas doloris nostri vices
Animadvorte, simul ut condoleas.
Sic reiterati toties Fatorum ictus,
Lugendâ prorsus connexi serie,
(nisi hoc ipso marmore sis durior)
Dolorem simul cient lacrymásque.
Hîc jacet! primo ætatis flore correpta,
simul & Ipsa, ætatis nostræ
Flos pulcherrimus,
Utpote in quâ Anglorum Rosæ, unâ cum Gallorum Liliis
ab accuratissimo naturæ penicillo,
Mixturam invenerunt maxumè exquisitam.
Hîc jacet Heroina perillustris, regio nata de stemmate,
HENRIETTA MARIA
Magni Regis Filia Sororque,
Digna *Carolidum* progenies.
Malignori eheu! sub siderum aspectu
Laboramus infelices,

Qui

Qui unius ejusdemque anni curriculo,
Binas lugemus *Marias*,
Quarum vel unius funus, per omnia ætatis nostræ lustra
Lacrymarum flumine sat largo,
Vix exequi, aut celebrari queat.
Delicatiùs certè sapit, pallidulus iste mortalium heluo,
cùm nullus ejus palato
Arrideat sanguis,
Nisi qui purpuriore quâdam tincturâ
De Regiis effluxit venis.
Parcatis verò tandem Parcæ! cùm sat supérque
in perillustre *Stuartorum* genus
sævitum est.
Parcas lethiferis Mors improba sagittis,
& *Carolo* uno, & *Henrico*,
Annáque simul & inclytâ *Aurantii* Principe
deflendâ, unà cum *Elizabethâ*,
duabúsque tandem
HENRIETTIS MARIIS,
Plus ah! plus nimiùm saturata,
Lacrymabiles desinas continuare ictus!
Quin vivant *Carolus* noster, & *Jacobus*
(nobile par Fratrum)
suísque
Diu, diúque præsint Britannis.
Severiore jam urgemur Fato,
Et funera longè flebiliora
deflemus miseri,
Quàm cùm ingentes depopulabatur urbes
Lues pestifera,
Et innumeras minorum gentium catervas
uno abstulit ictu.

Nam uno ex iſtis Fratribus cadente
(Quod Deus vetet Optumus Maxumúſque)
Ternæ occidunt Gentes,
Nec tam unius mors videbitur,
Quàm univerſalis Britonum clades, & interitus.
Quin tu, Diva, valeas! cœlo fruere Tibi debito,
Et beato Cognatorum adjungare choro;
Te licet meritò deflemus,
Felicem tuam miramur, imò & gratulamur ſortem,
Quæ tam rectà
A *Carolo* properas ad *Carolum*.

Ignoſcas verò ſolutis his verſiculis,
Numeri enim modíque incapax luctûs immenſitas
neſcivit ullâ lege coarctari;
Levis hercle eſt iſte dolor,
Qui ſuis ſe patitur contineri numeris.

Tho. Newcomen, Coll. S. Petri.

QUin age Sidonio bis tinctas murice veſtes
Albion, & rutilis radiantia pallia gemmis
Exue; ſcena novos poſcit mutata colores:
Heliadum revocare juvat, Clymenéſque dolores,
Singultúſque tuos Niobe, veſtróſque Jocaſta;
Nunc clamandus Hylas, rapta Eurydicéq; dolenda.
Gallia quot mittit flatus, quot & Anglia reddit;
Gallia tot gemitus mittat, tot & Anglia reddat:
Scilicet occubuit jam tertia victima Fatis
(Quam modò ſtellarum felix conſenſus ad oras
Et ſedes Fratris magni, *Caroliqne* potentis

Æquo-

Æquoreo plaudente Deo, Zephyróque favente
Attulerat) Princeps, *Carolo* gratissima Princeps.
Quæque olim *Caroli* nascentis tessera grata
Stella fuit, fuit hæc denatæ dira Sororis.
Phœbe tuos testor currus, num pulchrior Illâ,
Num tam casta tui vigeat sub tramitis axe
Heroina! ipsas hâc vicit laude Sibyllas.
Quid mihi Penelopen memoras! quídve ora venustæ
Cassiopes donata polo? non Cyprius ignis,
Non jubar Erigones, non Persei nobile sidus,
Tales ostentant vultus: quin cedite quotquot
Sidera Luna suo (cùm vultus imbre rigavit)
Splendore obfuscat: majorem agnoscite lucem:
Talis erat terris, sed & est jam major in astris.

G. Wigmore. Coll. Regin.

NEc satìs est fatis geminari damna malignis,
Et duplici malo premi?
Vidimus ereptam regali stemmate Matrem,
Quam cùm dolendo non fuit,
Conjunctim lacrymas cum Gallis Anglia fudit,
Subiítque lugendi vices.
Vix clauso Divæ tumulo, nova funera gentem
Ad altiora provocant.
Occidit Illustris patriæ Sol, Maximus Heros;
Qui *Carolum* dedit Angliæ,
Templa Deo, Regi sceptrum, sua cuique, rebelles
Subdi docens vel sine jugo.

Binis

Binis hiſce datis, accedit tertia clades,
Utramque gentem vulnerans.
Eſt Gallis Conjux, Soror eſt amiſſa Britannis,
Utrique ſpes & gloria;
Princeps, quâ nuper voto plauſúque receptâ
Superbiit Britannia.
Quanta fuit *Carolo* Majeſtas, tanta Sorori
Forma, paribus radiis micans.
Cùm placidis ventis Dea noſtras appulit oras,
Quæ pompa gratulantium?
Ut Gallis rurſus per fluctus tuta rediret,
Quæ magna vox precantium?
Tanta ſequebantur Te, Princeps, vota per undas,
Ut Te procellis omnibus.
Et miſeris, quibus hæc urgetur vita, perîclis
Spes fuerit exemptam fore.
Sed ſalvo reditu, quot nos optavimus annos,
Vix tot ſuperfuit dies.
Quos miſeros fecêre volunt nos ludere fata,
Tollendo quam nuper dabant?
Talem vix potuiſſe mori credentibus Anglis,
Quem Mors triumphum jactitet?
Sævitum ſatìs eſt, immitia numina, Parcæ;
Sua cuique victima cecidit.
Jam nimis anguſto numero contracta propago
Regia, trium non eſt capax.
Quò minùs illuſtrent noſtram duo Numina gentem,
Religio nunquam prohibuit.
Sed fruſtrà querulis fatum damnemus Iambis;
Cœlum Te meruit, Princeps, aut Anglia ſola.

Nicolaus Bately. A. B. T. C.

Eheu

EHeu! luderis Anglia,
Fatorum volucri luderis impetu!
Nil felix steterit diu,
Alternis redeunt & vicibus dolor
Et risus hilares simul,
Luctus lætitiam nunc rapido nimis
Eheu! consequitur pede.
Intermista fluunt gaudia luctibus.
Sic cùm vespere sol cadit,
Densis nox tenebris incubat horrida;
Nec semper tenebræ manent,
Sed Phœbo reduci Cynthia dat vices.
Ast heu! falleris Anglia;
Humanis fuerit mite doloribus
Solamen miseris, mora
Si res corruerent, surgere quâ solent;
Nec fortuna negaverit
Nasci Principibus, cùm simit hos mori.
Ast ô! nil nisi funera,
Et tristes elegos Melpomene canit,
Funebri resonant chely,
Et mœrore stupent compita lugubri.
Risus jam procul exulat,
Et candor niveus pectore, pulsáque
Terris optima faustitas;
Jámque optata salus, secula & aurea
Anglos visere nesciunt;
Nec campi Angliaci nectare jam tument.
Nil mirum; tenebris simul
Et luctu obruimur, lumina cùm cadunt.
Quantas efficit indies
Strages Parca nocens, insatiabilis!

Quot ſævâ nimiùm manu
Occîdit (referens horreo) Principes!
Tandem parcito, parcito,
O Fatum: &, penitus nè ruat Anglia,
O vivat *Carolus* diu,
Sit junctúſque ſuis ſerò Sororibus.

Wilſon, Aul. Pemb.

VIdimus eximiâ viduos vix Matre penates,
Quum ſua librato ſubduxit *Monchus* Olympo
Brachia, & effœtis jacuit cervicibus Atlas:
Regales funeſta apices contagia tangunt
Rurſus, & egelidos edunt pia marmora fletus,
Permiſcétque ſuos gemitus Sabrina Garumnæ,
Et Ligeri Tameſis, parilíque exterrita fato
Angliacos triſtis geminavit Gallia luctus,
Dum mœſto renovat fumantia funera luxu,
Et gemit extinctæ feralem Principis urnam,
Heu! quò Fata ruunt! miſeri quo numine læſo
Præcipites, Libitina, tùos, truculenta, furores
Infeſtáſque iras querimur? quæ cauſa malignam
Impulit infelix Lacheſin, rigidáſque Sorores,
Mortiferis iterum radiis, & ſidere lævo
Frangeret ut Britonum faſces, & ſacra *Stuarti*
Stemmata corriperet, morbíſque adflaret iniquis?
Nondum Parca ſuos ſatiatos ſanguine vultus
Regali avertit, nimios nec ſæva triumphos
Linquit adhuc, veteréſque gravis non eximit iras;
Sed fera Siſyphio *Caroli* diadema dolore
Damnat, & ingeſto perturbat gaudia luctu

Illuſtris

Illustris Domini, lacrymis qui nigra feretra
Condecorat, talíque trahit suspiria voce,
Quò conjux moribunda fugis? quæ bruma veterno
Opprimit immeritos artus? cur membra fatiscunt
Mollia, & insolito durescit frigore corpus?
Quæ placidæ rubuêre, genis jam lurida mortis
Insedit facies, & quæ placuêre marito
Lumina clausa latent, roseis nec grata labellis
Ora micant, priscos jactat nec vultus honores.
Dic Consors, dic chara mihi, quo cardine mundi,
Quâ Te parte poli quæram? quo clausa vehiclo
Splendida sidereos inter Dea volveris axes?
Et sequar, & tumulo juncti claudemur in uno,
Nostráque in Elysiis fallemus tempora campis.
Eheu! quam thalamo dederat Cytherea pudico,
Et Sociam donârat Hymen, infesta peremit
Jam præmaturo Superûm inclementia letho.
Non tantum Oceano facinus, Boreæque feroci,
Immitive Noto licuit peccare; carinâ
Cùm nuper liquidas ponti trajecerit undas:
At nimiùm tetricæ, feralia Numina, Parcæ,
Tam subitâ incassùm fatalia licia dextrâ
Rumpitis audaces. Inopinæ vulnera mortis
Impavida excepit; veluti cùm candidus ales
Immoritur dulci per stagna Caystria cantu,
Et fovet extremos modulanti voce dolores.
Dixit; & ingemuit sociâ cum Matre Cupido
Parvus, & effractis damnavit spicula nervis,
Et Charites rupto fuderunt crine querelas.

A. Spincuge, Coll. Jesu.

HEu quanta strages! pars quoque Patricii ordinis
Petiêre tumulos, jam carentibus suos:
Deerat nefandis Angliæ vitiis adhuc
Gravius flagellum, deerat & quod tristibus
Compleret omnem luctibus Britanniam.
Henretta Magni nunc obit *Caroli* Soror,
(Quæ chara & Anglis pariter & Gallis obit)
Delicta populi sic bonus heu Princeps luit:
Sic, quando Boreæ frena laxat Æolus,
Manente frutice, stantibus arbustis,
Cedrus vel alta pinus in terram cadit:
Sic quando currunt villa in pastus vagos
Armenta, cervix maxima in vulnus placet.
Hæc sistat omne, quicquid imminet mali,
Ruina, quicquid vitia nostri temporis
Pendere merentur, hâc luatur victimâ:
Placare cùm quæ Numen infensum valet,
Haud alia possit melior, aut major dari.

J. Boydell, Coll. Regin.

HEroum licuit *Moncko* appendere carmen,
Pieriâque Ducis prælia flare tubâ;
Instruitur leviore Tibi Libitina papyro,
Henrettamq; decet pagina dulce sonans:
Imponant licet *arma Viro*, remumque, tubámque;
Accumulant tumulo mollia dona Tuo,
Lilia materna, inscriptásque insignia Regum,
Unde genus ducis pulchrior Ipsa, rosas.
Cætera habes felicem umbram, cinerésque quiete
Compôstos servat Gallia, terra levis.

L. Welstead, Coll. Trin.

ERgóne sufficiant lacrymis non lumina centum,
Argus in alternâ quot statione tulit?
Quàm sumus ad luctus dociles? iterata cicatrix
Vulnere crudescit, jam coitura, novo.
Primùm Borbonios declinant Lilia culmos,
Gallica tum nostras enecat aura Rosas.
Filia sic sequitur *Matrem* non passibus æquis,
Festino (heu!) nimium sed properata gradu.
Ostendêre suis hanc tantùm fata Britannis,
Quos fugiens vitæ limine, mortis adit.
Conscia sic fati semel arva revisit odora
Phœnix, præsagâ funera mente ferens.
Debita lux patriæ primùm, victura recessit,
Dátque sui usuram, sed moritura, brevem.
Hospitium, thalamos, nunc inventura sepulchrum,
Se credit fidei Gallia fortè tuæ.
Credidit! ah nullâ nobis immitior umbrâ,
Tot licèt Angligenûm terra superba Ducum.
Dii mala nostra, precor, fausto magìs omine vertant,
Nobile par fratrum spem simulare facit.
Fortiter hæc binæ sustentent regna columnæ,
Fulcra neque hæc, quamvis lapsa priora, ruant.
Altam agat in terras radicem *Regia quercus*,
Vertice quæ toties sidera summa ferit.

J. L. A. B. Trin. Coll.

ERgo novam accumulant miseris jam fata Britannis
Lugendi causam? sempérque invisa cupressus
Inter pacificam *Caroli* subrepit Olivam?
Quid tantum Angligenæ possunt meruisse videri?
Quid *Carolus*? toties repetito ut vulnere Parcæ
Aurea de sacrâ divellant germina stirpe?
Ah satìs infidæ luimus perjuria turbæ,
Infaméśque acies, & vos quoque Numina cœli
Vos infelici populo ignovisse putâram,
Cùm *Carolum*, & prisci nobis solatia regni,
Et de Regali tot pignora Gente dedistis.
Quid tandem ô Superi immeritis hæc munera vestra
Eripitis? luctúsque juvat renovare priores?
Scilicet humanas rectrix Sapientia mundi
Fortunas rerúmque vices hâc lege gubernat,
Nè nimiùm felix mortalibus effluat ætas,
Curarúmve expers, & nè cui gaudia puro
Ducantur vultu, nullo interspersa dolore.
Nempe hoc de cœlo tanti prænuncia fati
Stella monet, medio quæ sub splendore diei
Imbelles radios & noctis miscuit umbram.
Ergo ita, nè Angligenis *Carolini* gloria sceptri
Lumina perstringat nimiùm, mentésque stupore
Opprimat, his lacrymis Rectoris cura supremi
Temperat attonitæ præfervida gaudia gentis.
At nimiùm tamen hæc tanti nova causa doloris
(Sive Illam cura hæc è terris, sive Deorum
Invidia abstulerit) *Carolo* sub Rege triumphos,
Et lætos animorum æstus, & gaudia pacis
Reprimit, & nimiâ affundit caligine terras.

Scilicet Augustæ vix dum deflere Parentis
Funera destiimus:
Ecce novas lacrymas & omissas penè querelas
Monkius excivit, cecidit jam tertia fato
Victima, quæ potuit rigidas flexisse Sorores,
Et Divas hominum insuetas mansuescere votis,
Si non incautam subita inclementia fati
Sustulerat, precibúsque moram lacrymísque negârat.
Ah! quanquam iratum jam demum parcere Numen
Incipiat, nec labenti succurrere sèclo
Caroliden prohibere velit, patriámque tueri
Hostibus incussam externis, sacróque furore,
Quem fraus & fictæ accendit pietatis imago.

Rob. Needham, A. B. *Coll. Regin. Soc.*

Epilogus.

SOli igitur Lessus, Epinicia nulla canenda,
Nullus Iò Pæan, nænia sola mihi?
Pensabunt Superi nullo hæc Epicedia plausu?
Heu! nullus post tot threna triumphus erit?
Dum salva est Quercus Brittannica, siste querelas
Musa, hinc indè licèt surculus intereat.
Dum vivit *Carolus*, valet & cum Fratre *Jacobus*,
Gaudia nec desunt, damna nec ulla nocent.
Sic medios inter lætabitur Anglia luctus,
Sic Carmen nostrum Θρηνοθρίαμβος erit.

J. D. P.

FINIS